Fragmentarium

O Clemens tamquam qui omnibus praeesse noveris singulos prout poteris iuva et
singulorum honus et sollicitudines portas. Unde et ego nunc tibi iniungens
dispensationem scio quia accipio gravamen magis quam praesto. Sed esto et fidens et
fortiter ferens certus quia laboris tui mercedem recipies cum ad portum quietis
incolumem hanc perduxeris navem. Ibi mercedes et premia pro omnium salute
suscipies si hic pro omnium incolomitate vigilaveris. Itaque si te multi ex
fratribus propter rigorem iustitiae odio habuerint ex hoc quidem non laederis sed ex huius
cemodi odiis amor tibi conciliabitur dei. Et ideo satis age magis et refuge ne
lauderis ab iniquis et ne pessima male agentibus diligaris sed potius ut propter
iustam dispensationem et aequissimam regulam diligens a Christo collaudari merearis.
Haec cum dixisset et his similia quamplura rursum respiciens ad populum dixit:
Scitote vos carissimi fratres et conservi mei huic quia pro fide et veritate docen
dam omnibus obedite scientes quod si quis hunc contristaverit Christum cui
donando credidit cathedram non recipit. Ita quamquam Christum non susceperit nec
dominum patrem suscepisse iudicabitur. Et ideo nec ipse suscipietur in regno caelorum.
Propter quod satis agite ad omnem collectam semper convenire ut ne neglegentes
et desides a Christo iudice esse deprehendimini. Convenientes vero semper ad Clementem
omnes date operam per ipso sentire et summo studio favorem vestrum erga eum de
pendere. Scientes quia propter vos singulos ipsi magis soli infestatus est
inimicus et in ipsum maiora suscitat bella. Oportet ergo vos summo studio niti
ut omnes erga illum vinculo amoris innexi plenissime erga eum haereatis facilius
etiam illi obedire omnes pariter in consensu et unanimitate possitis. Propter quod et vos
salutem esse quia ille possit obtemperantibus sibi vobis promptius impositi honeris pon
dus vehere. Quaedam autem ex vobis ipsis intellegere debetis si qua sunt quae ipse
propter insidias hominum malorum non potest evidentius et manifestius proloqui. Verbi
gratia si inimicus est aliquis pro actibus suis vos nolite expectare ut ipse vobis dicat
cum illo nolite amici esse sed prudenter obtemperare debetis et voluntati eius absque
commonitione obedire et avertere vos ab eo cui ipsum sentitis adversum. Sed nec
loqui his quibus ipse non loquitur ut unusquisque qui in culpa est dum cupit omnium vestrum amicitiam

Cod. A 94 (22)

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.22, 1r – Clemens Romanus, Epistula I ad Jacobum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-7vdp/5159/49389)